

1823907

II M  
1871



RUDOLPHVS I IMP

ALBERTVS I IMP





BIBLIOTHECA  
PONTICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



VIRIS

23.

OFFICIORUM MAGNIFICENTIA,  
CONSILIORUM PRUDENTIA,  
MERITORUMQUE AMPLITUDE  
CONSPICUIS.

DN. JOH. JACOBO

&

DN. JOH. ULRICO  
FRIDIIS,

FRATRIBUS GERMANIS,

ILLI SYNDICO GRAVISSIMO,  
HUIC CONSILIARIO MERITISSIMO,

PATRONIS MAGNIS,

FAUTORIBUS SUSPICIENDIS,  
COGNATIS HONORATISSIMIS;

PRO PRÆCLARIS IN SE MERITIS,

ET

SPE DURATURI IN SE PATROCINII,

HOC TYROCINIUM OFFERT DEDICATq;

JOHANNES SEBASTIANUS GAMBS,  
ARGENTINENSIS





**N** Unquam hoc qualecun-  
que publicæ veneratio-  
nis monumentum Ma-  
gnificis Vestris Am-  
plissimisq; Nominibus inscriptum  
dedicatumque fuisset, nisi vestra  
in studia propensio, in me vero  
tam magna, quam multa extarent  
merita. Quamvis enim ingenij  
vires in hoc ætatis flore minime  
permittant, ut eruditi aliquid à  
me in publicum provenire queat;  
sola tamen argumenti partim, par-  
tim vestræ in me promptæ volun-  
tatis ac favoris fiducia fretus, tyro-  
cinium hoc assiduo approbandi ob-  
sequij



sequij desiderio consecrare volui.  
Equidem commodioris temporis  
operisque expectassem occasionem,  
quã Vobis observantiæ meæ decla-  
rationem facerem, si in tanta ævi  
incertitudine nihil serum videre-  
tur. Quapropter obsequium, quo  
Vos, Patroni Magni, veneror, &  
patrocinium, quod ex benevolen-  
tiæ vestræ testatione spero mihi que  
polliceor, ultro sibi poscere vole-  
bant, ut animum quoque gratum Vobis  
probare auderem. Licet igitur hoc  
ipso styli ruditatem ac infantiam  
prodam, magno tamen honori erit  
exercitationi huic academicæ Ve-  
stra

):( 3

stra



stra Amplissima Nomina Lectori-  
bus ostentare, favoris scilicet an-  
sam in virtutibus vestris reperituris,  
quam in nostra scriptione nun-  
quam invenient. Fatendum enim  
est, neq; gloriæ vestræ, neq; virtu-  
tis famæ simplicem hanc respon-  
dere scribendi rationem. Igitur si  
ex sua conditione judicatur, exigu-  
um, si ex animo meo, immortale  
grati animi pignus habebitis. Hoc  
si Vos tanquam primum specimen  
literarium propitiis oculis accepturi  
estis, egregiè animabor non solum,  
sed jam votorum meorum summum  
fastigium obtinebo. Ita Æter-  
num



num Numen Vos in publicam Pa-  
triae salutem, felices, magnificos,  
gloriosos, unaq; cum Tota Amplif-  
sima Familia rebus secundis floren-  
tes, quam diutissimè sustentet, con-  
servet, ac tueatur. Argentorati,  
15. Julij anno 1672.

Magnificentiae Amplitu-  
dinisq; Vestrae

obsequiosissimus cultor

Johannes Sebastianus Gambs.



Lectori Benivolo

S. P. D.

JO. HENRICUS BOECLERUS.

**P**AUCA verba haec, ut à me huic libello accederent, non opus erat, nisi equitas ipsa jussisset rem in Academia nostra ita geri, ne quicquam de laboris sui gloria Nobilissimus & Elegantissimus auctor perderet. Qui post egregia ingenij & doctrinae documenta pridem edita, suo apte auspicio & Marte in meditationem hujus argumenti cum incidisset, non bonae tantum electionis, sed scriptiois quoque non infacundae nomine feliciter profecisse visus est: ita ut praeter testimonium eorum, quibus studia sua approbavit, nihil desiderari posset. Quamquam ne hac quidem opus fuisset hederam vino per se vendibili, nisi & consuetudo nostra & notitia Academiae publica, candoris hoc officium jam olim nobis commendatum fecisset. Neque enim intervenire calamus noster solet alienis curis, sed praecclarorum ingeniorum indelibatatos potius fructus Reipublicae gratulari. Faxit DEUS, ut Gambsiorum antiquae & nunc florentes gloriae, novis deinceps incrementis cumulentur semper ac amplificentur; & Joh. Sebastianus noster gentilia & domestica decora, non invidente sed applaudente Dn. Parente, perpetuet superetque. Vale Lector Benivole, & in eadem mecum vota conspira. Scrib. Argentorati 1672.





I. N. J. C. D. N.

**D**Ubito, num operæ pretium facturus sim, si Rudolphi, Principis ante quatuor annorum sæcula celeberrimi, res pace belloque feliciter gestas perscribam. Quamvis enim optimè mereatur ipsa rerum magnitudo & copia, præterea illustres fortissimi Imperatoris virtutes, ut ad memoriam posteritatis referantur; quia tamen multi eam jam perfecerunt, de quibus pauca memorare in animo fuit, cum veterem tum vulgatam rem repetere, non magni pretii aut utilitatis fore arbitrabar. Cum insuper quorundam scriptorum vanitate historiæ hujus veritatem corruptam, & optimi Imperatoris inclytæ generis famæ, laudi atque æternæ gloriæ non parum derogatum videri possit. Perarduum vero erit aliquid certius adferre, quam quod hucusque per longissimam annorum seriem, in tanta scriptorum turba obtinuit vel prævaluit. Utcunque sit, licebit tamen Rudolphi vitam atque res gestas ex vastis Eruditorum virorum operibus eruere, & in hac qualicunque dissertatione breviter exhibere. Auctores vero, unde excerpimus, hic singillatim enumerare, nihil attinet. Nisi quod ultro intelligitur, ex *Scriptoribus Historiæ Germanicæ*, quos eruditi in certa quasi corpora redegerunt, non præteritos esse annos, qui huc congruebant; ipsosque scriptores videri fide nimirum toties digniores,  
B quoties



quoties ad sua tempora & proxime ad illorum vitam, quorum res gestas persequuntur, accedunt. Sunt alii, qui continentibus suis operibus tam insignem temporis periodum inseruere, ut *Sigonius*, *Naucerus*, *Lehmannus*, & *MSC.* quædam *Chronica*. Tum, qui *Imperatores* memoraverunt; aut *Austriaca* tradiderunt, ut *Gerhardus de Roo*, *Cuspinianus*, *LaZius*, & præsertim *Speculum Honoris Austriaci Fuggerianum*, gravi auctoris iudicio, utinam & stylo seu dialecto, editum. Hos ubi consentiunt adhibuimus, ubi in diversa abeunt, comparavimus, pro virili veritatem & rerum gestarum fidem indagantes. Pauca hæc præfari duximus necessarium: nunc pergamus, si benevoli lectoris veniam sperare possumus.

1. De Augustissima Gentis Hapsburgicæ origine diversas apud scriptores deprehendi sententias, quando novam partim & nobilem, partim antiquam & minus claram eam faciunt. Multi enim ad Noam usque humani generis restauratorem, initium ejus per seriem quandam certissimam referre, ut putant, conantur. Quidam à Julio Cæsare & Nerone Imperatoribus, quidam etiam è Scipionum Gente, vel Perleonum, eam repetendam tradunt. Plerique tamen à Francorum Regibus hanc Domum ortam propagatamque esse sibi persuadent. Sed hæc nimia audacia, aut inepta adulatione evenisse, in promptu est. An igitur ex Suevorum aut Helvetiorum progenie, cui paucissimi favent, deduci debeat, in medio relinquo, benè confidens, me extra reprehensionem fore, si notabili scriptorum varietate de universi Generis elogiis tantùm proposita, Familiam brevissimis attigero.

2. Quis primus Comitibus Hapsburgensis cognomen, cur, aut unde traxerit, in ambiguo est.



est. De Wenero Pio dicitur, cum primum hoc nomen in publicis nobilitasse monumentis, licet ignarus credo, quantam nominis majestatem assumpserat, quantum immortalitatis decus sibi comparaverat. Sunt qui ab arce à Rabotho, Weneri tamen fratris sumptu, extructa, & Habspurgum, sive ab accipitre, sive habendo dicta, nomen accepisse asserunt. Nonnulli putant, Avensburgum, avendi quasi oppidum, quod postea Abesburgum dictum, proprio nomine signatum fuisse. Cæterum Familiam illustrant, Alberti, Rudolphi, Ottones, Weneri, pietate, prudentia, fortitudine, rerumque gestarum magnitudine perpetuo memorabiles. Albertus, Rudolphi Cæsaris Genitor, quod consiliis pollebat prudentissimis, nomen sapientistulit, adeo belli studiis clarus, ut superiorem tum temporis neminem, paucos æquales haberet. Ab Episcopo & Argentoratensibus præfectus electus adversus Comites Pfurtenses, magnum fortitudinis exemplum reliquit, hostibus duobus præliis victis, civitati omnes sumptus restituit. Postea sub auspiciis Friderici Cæsaris in Syriam profectus, diem obiit supremam. Maximum Comitem habuissim Albertum qui fidem in pactis, ardorem in religione, amorem erga patriam, fortitudinem in proeliis ostentabat, nisi majorem generasset. Rudolphus enim Habspurgicæ gloriæ Atlas tam animo quam virtutibus tantum parentem honestissima contentione superare nitebatur, imò superavit. Natus autem est Limburgi, calendis Maji anno supra millesimum ducentesimo decimo octavo, quo tempore Otto Imperator, hoc nomine quartus, in fugam elapsus, & Berchtoldus Zaringensium ultimus Ducum è vita subreptus est.



Gaudebat hoc ipso puero magnus Genitor, quem Divina Providentia ad alta fastigia destinavit. E fonte lustrico à Friderico Cæsare susceptus, dulcissimum Rudolphi, id est Rathulffi nomen accepit, non sine omine, futurum hunc aliquando esse Eum, qui consilio & prudentiâ rem Germaniæ afflictam esset restitutus. Infantiam imprimis pueritiamq; habuit laudabilem, quippe Alberto parenti præcipua in cunabulis de Filio custodia erat, cui virtutum fundamenta, Numinisque venerationem adeo insinuavit, ut ignoraret, natura an præceptis hæc consecutus sit. Sed hæc pueritiæ erant rudimenta, quam quidem in aliorum educatione maternæ plerumque corrumpunt blanditiæ, quod in hoc Principe secus evenit: Accessit enim Genetricis quoque generosus Spiritus, quo non fœminas modo, sed etiam Viros, anteibat. Igitur innatus vigor, animique magnitudo in flore juventutis jam talem pollicebantur, quem postea exhibuerunt, cujus præclaræ indolis argumenta ætatem longè prævenerant. Jamque exactis primæ pueritiæ annis in aulam Friderici Imperatoris, arcta propinquitate conjuncti, missus, gravitatem auctoritatemque ita tutatus est, ut inter æquales ingenii præstantia, morum dexteritate, honorum moderatione, omnes excelleret. Cumque vix arma ferre posset per ætatem, quoties Cæsarem conveniebat, toties reliqui Proceres in regia confidentes, surgebant, nescio qua reverentia moti, eum honorificè excipientes. Versabatur eodem tempore in aula Imperatoris quidam superstitiosus divinationibus præditus; præ aliis hic erga Rudolphum benè adfectus, ejus favorem ac gratiam magno studio emerebatur. Cæsari ergo percontanti,  
cur



cur huic neque aliis in aula ministris tantum exhiberet honorem, dixisse fertur, se cognitum habere, Rudolphum post Cæsarem imperaturum. Multiplici hinc doloris vel indignationis causa commotus Fridericus, & quid potissimum timeret, incertus, sermo, inquit, tuus nescio quod ingens malum præ se fert, sed cave, si quid Tui tibi Cæsaris reverentiæ est, num quod & scire expeto, & quærere decet, futurus est Imperator Rudolphus? Ille vera divinasse indicat, brevi nimirum fore, ut extincta Cæsaris posteritate, in Imperio rerum sit potiturus. Hic certe qualiscunq; fuerit, non ex incertis Astrologorum hariolationibus, sed quod nobilius vaticinandi genus est, ex ipsa virtutis natura, & singulari erga hunc principem reverentia augurabatur. At Rudolphus cognita Cæsaris ira, haud secus quam par erat motus, statuit ab aula recedere: rediisse tamen eum in aulam constat, cum Fridericus Imperator literas, quas emunitatis vocant, postea daret; in his enim Rudolphus inter Comites primus nomen subscripsit, titulum nobilis Comitum de Habsburg sibi attribuens. Cæterum, non poterat quiescere in hoc Principe generosus animus, & ingens gloriæ cupido: Ad rem ergo militarem, quo naturâ propensus ferebatur, animum adjecit, annos omnino sedecim habens. Igitur sub Friderico hoc Imperatore, cui non minus quam parenti se debere confitebatur, prima militiæ deposuit rudimenta, in Sicilia, mox in Italia imminente bello, quo perfecto nuptiis ejus cum Isabella, & conventui ad Moguntiam indicto interfuit. Profectus deinde cum eo Marpurgum, ubi gloriosum Elisabethæ, Andree Regis Hungariæ, Filie corpus in nume-



rum Sanctorum relatum est. Præterea in bello contra Fridericum Austriæ Ducem suscepto, insigne fortitudinis specimen eum dedisse constat. Postea vero cum Lombardiam aggredereetur Imperator, & magno cum exercitu Italiam invaderet, num secum sumpserit Comitem, dum nullum apud scriptores extat vestigium, nec affirmare nec inficias ire audeo. Militaverat hætenus sub Imperatoriis auspiciis, postmodum suo ductu cum gereret bellum, quantam rei militaris haberet peritiam, in bello quod contra Hugonem Tieffensteinium ex vicinia Baronem gerendum erat, apparuit. Laceffitus fuerat ab eo injuria verborum acerba, quam ulcisci ingenii magnitudini conveniebat: Prius igitur arcem satis munitam, obsidione cingere, deinde oppugnare voluit, verum Tieffensteinus sua militumq; fortitudine fretus, arcem summa ope defendere nitebatur. Quare Rudolphus viribus addens consilium, pecunia hostes sollicitavit, ut desertæ arce quasi congressuri in campum descenderent: quo impetrato, arcem à suis destitutam intrat, Tieffensteinio valde reluctante, obtruncato. Non contentus hac victoria Rudolphus, dum arma fervent, Rudolpho patruo Lauffenbergæ Domino, quod tutoris officium non rite expleret, sed regiones partim venderet, partim alienaret bellum inferre decrevit. Populabundi prius magis quàm justî more belli villas ei complures devastavit, inde cum atrox exardesceret bellum, maluit Lauffenbergius animum nepotis placare quam martis discrimen experiri, locis quibusdam Rudolpho concessis, cum eo in gratiam rediit.

9. Felici rerum successu invitatus Rudolphus, hortante loci propinquitate, Hartmannum Comitem Kübur-



Kiiburgensem consanguineum armis provocavit. Con-  
tendebant de hæreditate materna Rudolphus & Hart-  
mannus, illi data certa pecuniæ summa, qua tamen  
non contentus, ingentem insuper regionis partem  
postulavit, missis, qui denunciarent, ni detur regio,  
bellum adesse. Quod cum recusaret Hartmannus,  
Rudolphus ira accensus, statim in Comitatum Aquen-  
sem movit, quo subacto, Vitodurum, Kiiburgum &  
Marpurgum petit. Hartmannus quamvis ultima pa-  
ti, antequam regionem dederet, sibi proposuisset,  
sententia mox mutatâ, melius pacem facere, quam  
victoris arbitrium subire autumavit. Post damna ita-  
que utrimque data & accepta, ita paciscuntur consan-  
guinei, ut Hartmannus pecuniam solveret, & regio-  
nes Rudolpho permitteret. Cum vero tam conser-  
vandæ quam augendæ laudis atque gloriæ occasionem,  
ubique locorum esset, perscrutatus, nullum sua  
virtute dignum in Germania reperiret bellum, ab Ot-  
tocaro in Curia præfectum receptus, aulicis cunctis  
præfertur. Erat scilicet Bohemiæ Regis Aula, virtutis  
theatrum & seminarium fortissimorum Ducum, à qui-  
bus num honore magis an amore cultus sit, ambigitur.  
Ea tempestate nunciatur Ottocaro defectio Prussorum,  
qua comperta, copias contra hostes educit; bellum  
exorsis atrox intercedit dimicatio, nec incruenta de  
Prussis victoria. Fusi enim fugatique obsides dare,  
Urbem condere, se suaque omnia Regi permittere co-  
gebantur. Rudolphum summam rei tenuisse in hoc  
bello accepimus: Ottocarus quippe incertus, quem  
toti præficeret equitatu, solo Rudolphi nomine hosti-  
um vires frangi & reprimi posse, ratus, illi supremum  
militiæ officium defert. Nec vana erat de virtute hu-  
jus

10.



11. jus nobilissimi Ducis opinio, qui unico proelio hostium iniquitatem ultus est. Compositis in Prussia rebus, Bela Hungariæ Rex contra pacta Stiriam invadit; Ottocarus exemplo contractis copiis Belæ de possessione Stiriaë contendenti supervenit, injustis conatibus resistit, hostium magno numero caeso, delectoque. Rudolphum eidem bello simili felicitate interfuisse testantur scriptores, quo finito, ab Ottocaro dignitatem equestris ordinis accepit, & donum magnificentissimum. Dum hæc ita geruntur apud Bohemiæ Regem, Imperator Richardus è vita excessit. Imperium itaque absque capite esse perpendens Rudolphus, urgente necessitate ab aula summa gloria, majori tamen omnium desiderio revertitur in Germaniam. Facile crediderim, tanti Ducis discessum incredibili dolore affecisse Ottocarum, quem nunquam dimisisset, si virtus præmiis compensari aut muneribus adæquari posset; qui nunquam recessisset, nisi charitate patriæ ductus, opem ferre properasset. Perventum erat in interiorem Alsatiaë regionem, omnium rerum copia fertilissimam, in qua bellum conflatur inter Argentoratenses & Præsulem dioceseos Waltherum à Gerolds-egg. Causa illius hæc traditur, quod Argentoratensibus jura quædam subducere, leges violare, privilegia infringere, illosque tributis gravare agitaverit. Argentoratenses cum motuum horum compositio traheretur, facta ex Urbe eruptione, montem Haldenbergam depopulantur, & fossam circumjectam terra aliaque materia explent, ne Episcopus haberet, unde ex insidiis Argentinaë damnum inferre posset. Ille graviter hac re perculsus, sub omnium bonorum jactura Ecclesiasticos gravissima execratione obstrictos jussit omnes urbe in-



be egredi, ut sacris incolæ privarentur. Interim contra-  
ctis militibus, Argentoratum quam potuit celerrime  
obsidere cogitat. In auxilio ejus erant Episcopus  
Trevirensis, Abbas Sangallensis, Comes Thierstei-  
nius & Rudolphus Habsburgicus. Sed Argentinenses  
cum Conrado Friburgico, Henrico Neoburgico,  
& aliis sociis, non castris positis, non expectato ho-  
stium exercitu, raptam ex agris vicisque prædam por-  
tantes, in urbem redierunt. Ecclesiastici vero ma-  
jori clade quam commodo bellum geri animadver-  
tentes, motus hos, pactis inter Præsulem & Argenti-  
nenses induciis, componere tentarunt. Ast Præ-  
sul collecto intra hoc tempus milite, agnatisque  
qui antea ei opem præstiterant, conjunctis, totis  
viribus, bellum finitis induciis repetit. Diu cum  
parte exercitus circa urbis mœnia hærens, neque  
frumentum, neque vinum, quorum copia alia loca  
abundabant, inveni permisit. Non minor Argento-  
ratenfium etiam belli adparatus erat, qui & accersitis  
auxiliis, & Duce indigentes, Rudolphum à Præsule  
offensum, constituunt. Ad hanc clarissimi ducis præ-  
sentiam, effusa magna multitudo obviam procedit;  
in hunc quasi de coelo dimissum universa Civitas o-  
culos convertit, non aliter quam si ipsam victoriam in-  
tuerentur. Igitur sub resonantium campanarum stre-  
pitu, & gratulantium Civium applausu in urbem re-  
meant, & in area ad ædem Beatæ Virginis Deiparæ,  
(quæ nostris *der Fronhoff* audit) jurejurando fidem  
mutuam socii confirmant. Rudolphus hostem ad  
pugnam provocaturus, cum delectis terras, agros, vi-  
cosque Episcopi invadit, depopulatur, ac igne con-  
sumit, ablata hominum pecudumque opima præda.

C

Qui



13.

Quo irritatus Præsul, Argentoratensium quoque, quas extra urbem habebant, res captas direptasque militibus distribuit, loca quædam arte ademit, inde Molsheimiùm profectus. Per hoc tempus ex certamine factionum, quæ pluribus populis magis exitio quam bella externa, vel ultima mala fuerunt, eruntq; in oppido Colmaria orto, acerrima animorum durabat disjunctio, cujus altera pars Episcopi suscepit patrocinium, altera ei reluctante. Hujus caput dicitur fuisse Rösellmannus, loci cujusdam præfectus; Is expulsus ab Episcopi adiutoribus, Rudolphum adit, exponens quam facilis fieret hujus urbis occupatio, absque ulla vi, solo adhibito consilio. Rudolphus data occasione mirifice lætus Rösellmanni callido consilio approbato, qui se suosque vacuo includens dolio, noctu in civitatem reclusis portis à consociis intromittitur. Igitur ut constitutum erat, accenso stramine per totam urbem dato signo, Rudolphus propius cum exercitu venit & occupatis munimentis, oppressit factionum capita, oppidoque satis valido imposito præsidio, Mülhusium, deinde Keyfersbergam contendit, oppida ut in ea regione & tum temporis clara, quæ ditioni eius omnia permittebant, firmataque fide reversus est. Appropinquabat autem amœnissimum veris tempus, quo copia pugnandi utrimque facta, Præsulem tertio equo vehementem, quippe duo vulneribus confossi erant, memorabili ad Hausbergam vicit prælio, & pavidum in fugam elapsum insecutus, consequi non potuit. Sunt quidam authores, sexaginta nobili stemmate natos, cum Comite Tieffensteinio & Hermanno Gerolseggio Præsulis fratre, fortissimisque Ducibus egregia morte defunctos, peditum equitumq;

14.

innu



innumeram turbam caesam, septuaginta insuper sex  
nobilium in urbem restibus, quibus Argentoratenses  
comprehendere volebant, deductos esse, non plus  
uno Cives amisisse. Sive tanta sive minor victoria  
fuit, ingens tamen & nescio an major ab iis res gesta  
habeatur; quippe pro sua & omnium posterorum  
libertate pugnarunt, quæ clarissima victoria in perpe-  
tuum eos nobilitabit. Episcopus turpi fuga mortis  
periculo evitato, sera poenitentia ductus, non multo  
post ex animi ægitudine é vita excessit. Adeo desti-  
nata, fortuna omni ferocia potentior, salubriter dis-  
cussit, dum Imperium quod mente complexus erat,  
non obtinuit, sed & quod habuit, amisit. Num huic  
proelio Rudolphus quoque interfuerit, aut præfuerit,  
auctores multum discrepant: Nolo tamen hæc ad  
fortissimi comitis insignis famæ non modicum incre-  
mentum aptissima, refellere aut affirmare. Inter  
hæc Tigurini ducem spectatæ virtutis & disciplinæ  
militaris peritum, quo ingruente bello uterentur,  
postularunt, oblatum ab iis honorificum munus  
Udalricus Regensbergicus, Dynasta potens & fastuo-  
sus, temeré aspernatus, dixit, non quidem indigere  
civibus, eorum tamen defensionem suscepturum, si  
dominium eius agnoscere vellent, sin conditio minus  
placeret, scirent, ut pisces nassis includantur, ita Tigu-  
rinos à se captum iri. Illis superba responsione vehe-  
menter offensis, perniciosæ hujus arrogantia vindici-  
candæ matura obvenit occasio. Rudolphus enim  
tanquam illustre sidus componendis tantis fluctibus  
tempestivus adfulsit, quem militiae præfectum deno-  
minant. Periclitatur ille rursus virtutem, fortunam-  
que nunquam indulgendo sibi fatigatam, tanto ma-



jori animo, quod ad oppugnandum Regensbergicum, hostem haecenus infensissimum, justam haberet causam. Is nuntio de electo novo Duce percepto, ita terrefactus est, ut Nidovios, Toggenburgicos, Homburgicos, Ringensbergicos & alios plures non modo agnatos, sed amicos adjungeret. Tigurini licet viribus longe inferiores, nihilominus instructa acie elato hosti occurrunt. Commisso proelio, Rudolphus magnam de hoste reportavit victoriam, qui necessitate adactus, arcem Regensbergam, aliaque suae ditionis loca vendidit, pretiumque ex iis militi stipendio numeravit. Laudare eam, laetarique Tigurini, omnia subigenda tam ob patriam quam ob justam iram infestis signis pervenere eo, unde assiduas incursiones in agrum suum hostis moliebatur. Rudolphus obsessa arce Utlenberga, praesalta & munita, sed expugnandi pariter, accogendi ad deditioem spe amissa, in locis propter propinquitatem notis, sedatis armis, consilio dimicavit. Regensbergicus ex hac solebat indies equitare cum duodecim equis albis, secum habens albos quoque canes, ipse & servi aequae albati. Hoste pro more egresso, Rudolphus eodem numero equitum & canum, albo itidem colore, trepidè ad arcem pervenit, persequentibus acerrime Tigurinis: Custodes suos redire credentes, portam aperiunt, sed una etiam irruerunt persecutores. Tum victa oppidanorum vis, dejectisque propugnatoribus, occupantur muri: Arx etiam quae inexpugnabilis videbatur, inter tumultum capta est & everfa. Inde Glazenbergam simili astu captam direptamque, profectus, reliquis castellis brevi post aut vi aut deditioem in potestatem redactis. Regensbergicus hoc modo omni  
jam



jam ditione privatus, ab omnibus jam desertus, ad hostem magno fortunæ ludibrio confugere, annuamq; pensionem à clementissimo victore implorare necesse habuit. Adeo maxima quæque in lubrico sunt, & audacissimas hominum spes, quilibet ex improvise casus eludere potest. Rudolphus vero haud dubie omni bellica laude dignus, virtutis tale documentum Tigurinis probavit, ut gloriarentur nunquam optata exitum deseruisse, quamdiu Rudolphi opera utebantur. Dum hæc geruntur apud Tigurinos nova belli femina sparguntur, quæ magna animi constantia superanda prius erant, quam amplum honoris templum conscenderet. Episcopus enim Henricus Basileensis, Neoburgo & Brisaco hostili impetu occupato, stellerisque ex urbe ejectis, Hartenbergam arcem paulo ante extructam, Blodelshemium oppidum, Otmarse-  
nam, Rhinfeldam & Klingenam loca ditioni Habsburgicæ subjecta, non expressa belli causa adortus, crudeliter in ea grassatus est. Accedit, quod imperiosa Basileensis plebs, credo furoris insania magis, quam injuriarum ultione selectissimos equites, tam propinqua cognatione stirpi Habsburgicæ adnexos, quam Rudolpho in paucis charissimos, finito certamine equestre erga uxores civium nimio amore incensos, obtruncaverit, trucidaverit, & quod dictu horrendum, in humum prostratos, pedibus tamdiu concalcaverit, donec miserabili morte defungerentur. Instigabat ad vindictam Rudolphum, perpetrati sceleris magnitudo & atrocium injuriarum multitudo: Sed in ipso belli apparatu districto Berchtoldus Abbas Sangallensis moram injecit, itaque dilata in proximum facinoris ultione, cum Abbate ad Hugonem

16

C 3

Wirten-



Wirtembergicum profectus, ei contra Monsfortios  
opem tulit, inde cum rediisset, cogitatum bellum ab  
utroque parte strenuè paratur. Episcopus cum  
Udalrico Ferretano foedere in decennium percusso,  
ab Argentoratensium Præsule auxilia accersit. Ru-  
dolphus interim monasterium Grandisvallis exurit,  
arce Tieffensteina destructa, relicto Neoburgo, Basi-  
leæ suburbium incendio vastavit, Episcopo in Secco-  
nium tantum sævi ente. Comes ex hibernis exerci-  
tum movens, urbem ipsam aditurus, percepit Abba-  
tem antea amicum nunc hostem magno copiarum  
numero suas laceffere regiones. Quare consilia agi-  
tari cœpta, utrumne ultra suscipiendum esset bellum,  
an deferendum si pax certa & honesta, victoria spera-  
ta longè tutior, meliorque haberi posset. Ipse Ru-  
dolphus non aliud tempus magis postulasse pacem  
censebat, vires enim distrahere, inconsultum esse,  
neque facile præstare vel conducere cum duobus ha-  
bere dissidium, nisi cum altero quis in gratiam redeat:  
Plura etiam me merita ab Abbate accepisse, illum à  
me pauca, confiteor. Et si hoc non esset, scire omnes,  
belli eventum incertum esse, & sæpius animosius su-  
sumi quam geri. Facile ratio tam salubris consilii ac-  
cepta est. Itaque paciscitur cum Abbate, sed exem-  
plo inter pauca magnanimitatis specimina memoran-  
do: Modico quippe præsidio hostem præsentem adit,  
alloquitur, mitigat, tantâ prudentia, ut operam co-  
piasque ipsi sponte polliceretur. Quibus auctus de  
novo in agrum Basileensem arma intulit: Aderant  
ibi & Tigurinorum auxilia valida & opportune missa.  
Quo autem feliciter, quandocunque vellet, Rhenum  
transire posset, perspicaci ingenio singularem prorsus  
modum

17.

18.



modum navium fabricandarum excogitavit: solutiles illæ erant, modo plicari, explicari rursus, ac curru vehi accommodatæ; his ex improvise hoste frequenter oppresso, igne ferroque agrum illius perdidit, ut solitudinem faceret: quicquid usui inferviebat corripit, sterile ac nudum solum relicturus. Cæterum non ipse modo obibat urbem, jugum adhuc recusantem, sed milites quoque ipsius pleraque invaserant. Aliquando obequitantem conspexit Hugo Mariscalcus urbis consul: itaque ad insequendum eum parva manu venit, ignorans, qua insidiarum fraude circumiretur. Siquidem Rudolphus suis mandavit, ut ruentibus in se supervenirent, ac magna clade prosternerent. Mariscalcus cupidine captus, hostem invadere fatagens, ab insidiatoribus comprehensus & occisus est. Rudolphus ne quid inexpertum omitteret, cum difficilis hujus urbis occupatio videretur, donis Episcopi amicos corrupit, ut facta defectione ad eum transfugerent. Episcopus quod omnia indies arctiora fierent, territus, inducias ab eo in quatuordecim annos petit & obtinuit. Dum vero sic Rudolphus obsessos urget, Cæsaris ac Imperatoris nomen sortitus est. Hic vero interrumpendæ sunt res Rudolphi; & quomodo hoc factum sit, ut dignitas hæc Comiti non Regi deferretur, qui status rerum, quæ consilia Principum, Civitatum vires, Nobilium potentia, quique animorum motus tum fuerint, breviter exponendum. Res vero ipsa postulat, ut à malorum in Imperio maximorum auctoribus, Gregorio, Honorio, Innocentio, Hadriano, egregiis Pontificibus auspiciemur. Hi enim astutissimi, ad minuendam Imperii Romano-Germanici Majestatem intenti, fraudulentas artes, nefanda



fanda scelera adhibuerunt, per quæ diffidiis & interneci-  
vis odiis inter Imperatores ac Principes concitatis, eò  
penetrarunt, ut octodecim tandem per annos vastum  
Imperium absque capite fuerit. Fridericus quippe,  
cum injusto anathematis fulmine excommunicatus,  
ab amicis desertus, fortunaque destitutus corruente  
Imperii Majestate decessisset: Conradus ejus filius in  
hoc perturbato statu superstes, imperii cura feliciter  
suscepta, feliciorem equidem ominabatur progres-  
sum. Sed vicit mox Pontificum astutia, autoritate  
religionis fulta atque armata, Conradusque insidiis  
Mansfredi circumventus, periit. Misera erat ista tempe-  
state rerum facies, quod contra Leges & Imperii antiqua  
jura exteris Regibus summum fastigium deferretur.  
Henricus enim Thuringus, Wilhelmus Hollandus, Ri-  
chardus vero & Alphonsus exteri, artibus Pontificum  
electi, legitimo non tantum nomine, sed justo quoq;  
titulo carebant. Cum itaque magis arma, quam le-  
ges eo tempore dominarentur, Principes jura Impera-  
toris ad se pertrahebant: Civitates inito primùm  
communi foedere Principum consilia reprimere, li-  
bertatemque obtinere quærebant, postea tamen pari-  
ter & Principes in societatem adducentes. Nobilium  
imprimis etiam magna libido fuit, qui ex arbitrio  
cuncta composuerunt, invaserunt, ac diripuerunt.  
Sed nullus erat, qui afflictam Rempublicam suble-  
vare, concussam stabilire, neglectam, imo fere amif-  
sam respicere modo cogitabat. Hac igitur miseranda  
20. tempestate, quæ nunquam satis deplorari, nunquam  
satis curari potuit, acerrimi hætenus hostes ipsi Pon-  
tifices commoti, crescentibus indies malis medium  
adhibere intendebant. Nam Gregorius decimus  
Electo-



Electoꝝ Francofurti comitia celebrantibus, ut Imperatorem eligerent, non tam qui Ecclesiæ provide-  
ret, quam qui collapsam ferè Rempublicam restitueret;  
si minus, se de consensu Cardinalium Romani Imperii  
ultimo exitio præventurum. Electoꝝ habitis Comi-  
tiis nuntium de repentina Richardi morte accipiunt;  
Itaque Comes Tirolensis Meinhardus, Princeps famæ  
celebritate conspicuus, tres totius Germaniæ Athletas,  
Bernhardum Carinthiæ Ducem; Albertum Gorithiæ  
Comitem; & Rudolphum Habsburgicum Principibus  
imperii honorificè commendavit. Cæterum ambi-  
tioso conatu Ottocarus Bohemus, empto Ottonis  
Brandenburgici suffragio, & nonnullis aliis quoque  
inter ordines pecunia corruptis, imperium affectabat.  
Ad discordiam ergo re denuò inclinante, vicit Ru-  
dolphi fatum, cujus virtutis experimenta, morumque  
documenta, gravi sermone Wernerus Moguntinus de-  
prædicaverat. Omnium itaque consensu potestas de-  
nominandi quem vellet Imperatorem, Ludovico Pala-  
tino traditur: Ille diu multumque reluctatus, ad ulti-  
mum Electoꝝ fretus unanimi conspiratione, Ru-  
dolphum ad Cæsaream dignitatem provexit. Crede-  
res hujus' futuræ Majestatis tot victoriarum gloriam  
quasi prænuntiam fuisse, adeo, ut nihil ei deesse impe-  
ratorium, quam imperium videretur. Subito hinc  
Henricus Pappenheimius Imperii Ensifer castra Ru-  
dolphi ad Basileam posita intrat, & Imperatorem eum  
salutat. Altera die Burgravius Noribergensis gratu-  
labundus eandem augustissimam dignitatem, Princi-  
pum diplomate ac decreto electionis confirmatam,  
annuntiat. Somnio similis res Rudolpho videbatur,  
vixque initio fidem habens, mox divinam inde provi-

D

dentiam



dentiam conjectans, & gratias agere, & Electorum voluntatem approbare voluit. Fama, ut solet, non castris tantum, sed tota quoque urbe discurret, aliorum studio, aliorum eminente indignatione. Itaque à præfenti multitudine inter faustas acclamations Imperator consalutatus, exemplò cum Præsule pacem initurus, captivos pristinae restituit libertati, missis qui nuntiarent, se Cæsarem, injurias oblivisci illatas, & cuncta, si supplex venerit ignoscere. Præsul hac re attonitus, erectis in cœlum manibus, exclamavit: O æterne Christe firma Solium Tuum, ne hic TE Comes deturbet; certissime enim credo, fortunam, quoties de cœlo dilabitur, toties hunc Comitem superfundere. Cumque bellum inferre non posset, ad gratulandum Rudolpho, etiam reconciliandum legati, his pacis conditionibus revertuntur: ut Henricus Præsul oppido Neoburgo derelicto, nongentarum argenti librarum, vulgo marcas vocant, summam solveret, in carcere detentos dimitteret, ejectosque ex urbe reduceret. Præsul subita mutatione quammaximè perturbatus, eoque doluit, ut ex mœrore vitæ periculum contraheret. Inter hæc Legati undique Basileam confluerant, precantes, ut felix ille, felices omnes sub Imperio ejus viverent. Miserat Argentina quoque statim ab initio Legatos, qui Civitatem Rudolpho honorificentissime commendarunt. Cæsar legationem benignè acceptam clementissime non solum dimisit, sed ipsam Urbem confestim petiit. Offerebantur ei Argentinæ dona, vinum generosissimum, frumentum, & jugera, & pretiosissimæ gemmæ: Nec ipse tantummodo, sed Conjux quoque splendidis onusta muneribus, magno numero navium  
Rhenum



Rhenum transire, ut una cum Cæsare coronaretur. Iter hinc Moguntiam pronuntiavit, eò cum perventum esset, regalibus ornatur, quæ tot prædecessores ingenti pecunia obtinere nequiverunt. Francofurtum vero cum Coniuge, liberisque, inde Aquisgranum contendentes comitantur Principes, Nobiles, multique Argentinensium, in quorum omnium illustri conventu Rudolpho & Annæ uxori Diadema imperii solenni ritu imponitur. Cumque iurandum à Principibus exigeret, nonnulli absentiam reliquorum, alii sceptri defectum causati, recusarunt. Ille arrepto Crucis Signo, *hoc, inquit, inimicos, hoc Imperij Majestatem violaturos, pedibus meis subjiciam.* Adeo hæc verba animos Principum penetrarunt, ut crucem exosculati, sub Sacramenti religione auxilia contra rebelles hostiumque vires pollicerentur: Nocte autem, diem inaugurationis subsecuta, ferè simile in coelo adparuisse crucis signum fertur, primùm candidæ, postea in ruborem sanguinis transformatæ, tanto ignis fulgore, ut omnes qui intuerentur, vel in admirationem ducti, vel tacita religione territi fuerint; unde coelum ipsum, quæ hic acta fuerunt, confirmare videbatur. Rudolphus Aquisgrani ita moratus, Principibus convivio adhibitis, arctissimum foedus per matrimonia Filiarum sanxit, memorabili fato, quo tot potentissimorum Principum vires una dies conjunxit. Cum jam Aquisgrano discederet, percepit Gregorium decimum Pontificem Laufannam pervenisse, quo iter instituens, confirmatur à Pontifice ea lege, ut intra anni spatium Romam ad insignia Imperii accipienda adiret: Promisit insuper ducentorum aureum nummorum millia expeditionem in Palæstinam suscepturo. Rudolphus ad restaurandam

23

D 2 imperioque



imperioque splendorem reducere in animum induxit. Nil tamen sine consilio Principum facere volebat: Quippe Noribergam indictis comitiis omnes eo vocavit, & con-  
nerunt, præter Ottocarum Regem Bohemiæ & Henricum Ducem Bavariæ, qui postea Herbipolim citati sunt. Prin-  
cipes constituta die rursus congregati, expectarunt eorum adventum, cumque iterum comparere refragarentur, Cæ-  
sar in aliud tempus rejecta inobedientiæ poena, Friderici Zollerensis consanguinei, Burggravii Noribergensis, titulo adjecit dignitatem hæreditariam. Aliis deinde Augustæ Vindelicorum celebratis Comitiis, ex Austria, vicinisque locis legati de sævitia & crudelitate Bohemiæ Regis ques-  
tum venire, qui sacris profanisque violatis, domi etiam foeminarum virginumque corporibus vim inferret. Jamq; toties vocati Ottocarus & Henricus, ad perferenda mandata le-  
gatos miserunt. Erat inter illos Bernhardus Seccoviensis Præ-  
sul, omnium astutissimus, & ad fallendum egregie composi-  
tus: alter vero Henricus Öttingensis, melioris notæ habeba-  
tur. Cum admissi essent, in illustri Principum corona Bohe-  
mus nihil aliud egit, quam ut Cæsaris electionem omnib<sup>9</sup> mo-  
dis improbaret: Bavarus verò ut inobedientiæ causam non  
24. minori facundia quam prudentia exponeret. Igitur Seccovi-  
ensis Præsul è vestigio in Bohemiam reversus, indicat Regi,  
Germanorum Principum iram ex habita oratione gravissimã.  
Ottocarus irridens hæc, immodicus æstimator sui, Imperato-  
ris, Principumq; Germaniæ potentiam ludibrio habere coe-  
pit. Has ob causas Cæsar, Electores, Principes, durante Comi-  
tiorum tempore, legant ad eum Burggravium Noribergen-  
sem & Henricum Basileensem antistitem, hac denuntia-  
tione, ut Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam,  
omnesque ditiones malis artibus occupatas, sub fide im-  
perio redderet. Legati Ottocarum mandata exposuerunt;  
ille



ille ferox, temere viribus suis fretus, in hunc modum re-  
spondet. *Rudolphus antea famulus, meoq; imperio obnoxius,*  
*nunc, ut dicitis, Imperator, indignus, cui tot Reges obsequan-*  
*tur, à Rege Bohemiæ etiam obsequium petere non abhorruit:*  
*Sed video quod severus maximè & superbus fiat, ex humili*  
*vilique evectus, cum tamen nihil tam instabile, tam*  
*fluxum sit, quam potentia non sua vixit. Nunquam igitur*  
*Ottocarum Regem, Rudolpho obediturum significetis; sin hoc*  
*responso lædi se judicaverit, belli fortunam experiri posse, se*  
*tamen ut pacem præferat, ei consulere.* Legati nondum soluto  
conventu Cæsari referunt, quàm Bohemus, infestum adhuc  
animum habeat, quæ contumeliosa verba emittat. Hac re  
Principes concitati bellum Ottocaro inferendum decer-  
nunt, & Bavaro, quem in suas partes attraxit. Sed Ger-  
mania prius pacanda erat, quam bellum in exteras regio-  
nes proferendum, ne dum hostem procul quæreret, domi  
majore jactura aleret. Wirtenbergicus enim Comes  
Eberhardus senior, homo sublatis admodum supercilii,  
qui se solius DEI amicum, totius vero mundi hostem  
profitebatur, Marchione Badensè, compluribusque Sue-  
viæ Comitibus adjunctis, per Alsatiam, Sueviam, Franco-  
niam Orientalem imperii ditiones, multa suæ potestati sub-  
jecit. Cæsar itaque à Genero Ludovico Palatino aditus,  
pace domitis data, Ergovia, Brisgovia, Turgovia quoque  
recepta, Bavarum Bohemicis subsidiis nixum, aggreditur,  
ac primò prælio quosdam fudit, quosdam cœpit, cæteris  
fuga elapsis. Henricus exigua quidem clade adfectus, cum  
fratre tamen in gratiam redire, & veniam à Rudolpho pete-  
re coactus est. Sed novissima hæc victoria instrumen-  
tum sequentis erat: Quippe Ottocarus Rex Bohemiæ, cu-  
jus frequens supra mentio occurrit, per annos jam vigin-  
ti duos Austria potitus, imperium Rudolphi non solum  
detrectavit, sed & contra omnium Gentium jura Legatos  
violavit,

25.

26.



violavit, quibusdam ad portam suspensis. Hac indigna  
suorum nece commotus Cæsar bellum in Austriam trans-  
jecit. Communitur tum suis tum Germanorum copiis  
robore & numero validissimis, secum habens Mogunti-  
num & Coloniensem Archi-Episcopos, Ratisponensem,  
Herbipolensem, Pataviensem Episcopos, Ludovicum  
Comitem Palatinum Rheni, Henricum, Ottonem, Bava-  
ros, & multos Nobiles de Rheno, Franconia & Suevia.  
Miserat quoque XXM. Equitum levis armaturæ Ladisla-  
us Hungariæ Rex, ob erepta à Bohemo loca sibi subjecta.  
Ottocarus convocatis Austriæ ac Stiria Nobilibus novum  
ab illis iusjurandum exegit, filios obsides petiit. Cumq;  
nil minus quam multitudo militum ipsi deesset, collectis è  
Bohemia, Saxonia, Silesia, Pomerania, Polonia, Thurin-  
gia, Moravia, bellicosissimarum Gentium genetricibus,  
Hercyniam Sylvam, qua in interiora Bohemiæ iter  
patet, firmo præsidio occupari iussit. Cæsar perscruta-  
tus hostium consilia, Danubium transit, ibique Belsum  
oppidum, Lynciumque recepit. Inde Viennam belli ca-  
put urgebat obsidio; Spe enim brevi capiendæ Urbis in-  
ductus, ipsis portis inhæret. Tenebant autem Urbem nu-  
merosa Bohemorum præsidia, quæ hætenus deditioem  
morabantur. Nam prævalentibus his, cives, quamvis Ru-  
dolphi optime cuperent, nihil ausi sunt: interim pugnae  
locus & proelii dies expectabatur, cum hostis exercitum  
in conspectum dare non conaretur, incolis urbis ni dede-  
rent se omnia populaturum, minatur. Illi satis attoniti,  
urbem quidem defendere proposuerunt, sed penuriâ com-  
meatum aliquot dierum inducias pacti, ut nisi intra eos  
auxilium Ottocarus mitteret, sese Cæsari permitterent;  
Postquam nihil inde præsidii mittebatur, ad præstitutam  
diem, cum per quinque septimanas obsessi essent, in fidem  
se ur-



se urbemque dediderunt. Exemplum hoc aliarum quoque  
urbes imitantur. Haecenus Danubius duo immensa  
agmina separabat, sed utrimque deficiente comitatu,  
metu futuræ seditionis pacis auctores inveniuntur, dicen-  
tes satius esse, pacem facere quam sanguine suo campos  
implere. Itaque Bruno Episcopus Olomucensis, ab Otto-  
caro ad Rudolphum ut tentaret, quod suaserat, missus, his  
conditionibus eam impetravit; si Austria, Stiria, Carin-  
thia, Carniola & quæ ad imperium spectant, relictis, Mora-  
viam, Bohemiamque in feudum accepturus esset: si præ-  
terea Imperatori iuramentum vinculo sese astringere, Ladis-  
lao sua restituere, & captivos dimittere vellet. Annuens  
Rex, unum rogavit, ut secreto intra tentorium paucis co-  
ram arbitris debito erga Cæsarem defungeretur officio:  
Sed, ut opinor, dignus erat, cuius superbia eluderetur.  
Itaque eo ad genua Imperatoris provoluto, pensile tentori-  
um in quatuor partes dissolutum, decidit. Ottocarus hoc  
modo rebus irretitus, dissimulata, quam ceperat, indigna-  
tione, scenæ inserviens, duarum maximarum Gentium lu-  
dibrio atque contemptui exponitur. At quanto atrocius  
superinducta mulier Künegundis redeuntem excepit? *Te,*  
*ait perditissima, qui Bohemiam Regnorum Regnum, qui*  
*pulcherrimas ditissimasque provincias, neque Domino,*  
*neque victori, sed servo, imo hosti, nulla vi, nullaque neces-*  
*sitate coactus, subiecisti, oculis ne intuear? Quorsum Mo-*  
*ravi, Silesii, Saxones, populares suis exciti sedibus, scilicet,*  
*ut Te, antea Regem, jam servum ante Rudolphi pedes*  
*procumbentem, in egregio triumpho conspicerent. Me*  
*quidem felicem predicabam tanto Regi nuptam, nisi me*  
*ex Regina servam, ex Imperatrice captivam fecisset. Cer-*  
*te quicumque velit, patiatur hanc injuriam, ego haudqua-*  
*quam pati possum. Crede ergo si armorum strepitus am-*  
*plius*



28. *amplius audire non cogitas, conjugem per socordiam  
Viri amissa bello repetituram.* Ille ad ultimum poeni-  
tentia victus, cum saniora amicorum consilia admittere  
nollet, muliebri consilium plerumque deterius, & assen-  
tationem cæterorum amicorum perniciosam, perpetuum  
regni malum, comprobavit, non sine nominis dedecore  
fracta pace, turpius datam fidem fallere, foedusque rumpe-  
re, & bellum restaurare conatur. Collectis ergo ex Pome-  
rania, Saxonia, Moravia, Bavaria fortissimis undique co-  
piis in Marchiæ campo castra metatur. Cæsar Viennæ  
tum erat, cum ei nuntiaretur Ottocari defectio, quam  
adeo ægrè tulit, *ut diceret, scio Divinum Numen rupti  
fæderis & Sacramenti perfidiam ultione persecuturum,  
quare non moriar, antequam DEI hominumque de-  
ceptorem victoriæ præmium faciam.* Igitur castris ad  
Laam oppidum in campo Niderspurgico positis, quo ma-  
jore animo capefferent bellum, universas vires in conspe-  
ctum dedit. Erat quidem ingens multitudo, majorem ta-  
men quam pro numero speciem gerens: Quippe Ladis-  
laus Hungariæ Rex à Cæsare in filium adoptatus, viginti  
millia Chumanorum armaverat, gentem bello acerrimam.  
Stirorum mille & centum aderant. Ex Germania multa  
millia robora virorum missa. Jamque acies ab eo pru-  
dentissimè ordinabatur, signa distribuebantur, promptissi-  
mi quique in fronte collocabantur: Nondum vero ad ma-  
nus pervenerat, cum pauci Hungarorum ad Ottocari castra  
progressi, pro more, ex hostibus comprehensis secum du-  
cerent. Cæsar quoque ut majorem victoriæ spem suis fa-  
ceret, quam plurimis militari dignitate insignitis, egregia  
oratione milites adloquebatur. *Habetis, Commilitones,  
materiam virtutis gloriaque vestrae maximam hostem,  
qui perjurio suo & homines maligne decepit, & Divinum  
Numen*



Numen sibi iratum reddidit. Hinc pœna & clades certif-  
sima, quod nunquam talia scelera inulta fuerunt. Hic  
dies Germaniam dulcissimum patriæ solum, finitimasq; re-  
giones de sevisima Ottocari Tyrannide aut liberabit, aut  
Tyrannum omnium spectaculo in triumphum deducet. Vobis  
enim & universo terrarum orbi non ignota est hæc perfidia,  
ambitio, & quod fateri necessum est, scelestum facinus. Er-  
go justissima causa subest publicam defendentibus tranquil-  
litatem, securitatem & sanguinis germanici gloriam. No-  
mina modo gentium non extimescatis, cum neque ad belli  
discrimen, neque victoria præmium pertineat, qui Moravi,  
qui ve Bohemi adpellentur. Plures hic dimicare, illic  
plures conspici, & imbelles esse omnes, à fœmina missos, cre-  
dite. Vos contra intueamini cujus ductu auspiciisq; tot ter-  
ras, ingentia spei incitamenta, post tergum reliquistis. Di-  
micandum est fortiter, sub signo Regis Romani, contra Re-  
gem Bohemæ paucitatem nostram contemnentem: Sæpe  
enim contemptus hostis cruentum editit certamen. Expe-  
riamur itaque magna animorum constantia, quicquid de-  
inde fors tulerit: consequemur tamen honesta morte omni-  
bus optanda egregiam victoriam aut pugnam. Quid multis?  
mea vestrorumq; omnium, aut vincere, aut mori, unica  
hodie fortuna erit. Ottocarus vero breviter in hunc  
modum suos adhortatus est. Magnitudinem belli, quod,  
suscepimus, dum intuemini milites, non dubito, quin exi-  
stimetis difficilem fore hanc victoriam: & videri talis  
posset, si magnum belli nomen vos terreret, Sed vestram  
virtutem fortunamq; diu satis expertus, animum quem ha-  
tenuis habuistis, eundem mox in vincendis hostibus prodi-  
tuos vos confido. Inferimus enim bellum, eoq; fortius  
pugnamus, quo major spes nostra, quàm arcentis est.  
Omnium autem animos accendit dolor, injuria, in-  
E dignitas,



dignitas, ante biennium nobis illata, quam hodie fortitudo vestra & ulcisci & punire debet. Me queso imitemini, sive ignavia sive fortitudinis exemplum dedero. Videtis ipsi paucorum tantum hominum arma esse, hic vobis vincendum aut moriendum est. Opulenta laborum premia erunt regiones ditissima, quas superbissimus Rex sua omnia sui que arbitrij fecit. Hec fortibus viris dico, ideo quocunque confero oculos, generosissimarum gentium robora, tum ob patriam, tum ob justam iram pugnatura, aspicio. Cæterum sive anxio de instanti proelio, sive terrefacto de præterita vita male transacta, in somno obversata Ottoprocaro species, quæ visa est repræsentare multa cornua suo capiti imposita, uno vero ictu rursus evulsa, aliis alia per quietem videntibus. Forsitan erant minæ vel iræ cœlestes, quibus cum divinatio animi præsa-gientis dehortari voluit. Jamque pugnae initium factum erat, cum fortiter Austriaci, Styriiq; in cornu hostium, quod ipse Rex tuebatur, invehebantur. Diu anceps stetit proelium, cum nulli neque ignavo, neq; timido cessare liceret: donec Pfannenbergicus lethali vulnere accepto aciem desereret. Tum demum Stirii pavore perculsi, languidius pugnabant. Cæsar ignorans quidem causam remissæ pugnae, DEI opem imploravit, mutua deinde adhortatione firmati, acrius in hostes erumpunt. Bohemi metu hinc dissipati, impetum sustinere non poterant; Henricus quoq; Marchio territissimum timorem incussit, mandans, ut se exclamante hostes fugere, omnes altissima qua possent voce clamorem ederent, fugiunt, fugiunt. Milota ulturus Regem, quod fratrem injuste carceri inclusum necasset, primus turbaverat fuga ordines. Jam vero non sensim cedere, sed qua cuique ad fugam via, erumpere.

Otto-



Ottocarum duo fratres, regiæ necis avidissimi, Moren-  
bergeri adpellantur, tertium enim suspendi curaverat,  
fortiter pugnans adorti, equo dejiciunt, Regemq;  
à se prostratum vociferantur. Tum vero multum  
sanguinis fufum est: quippe amiffò Rege nec vole-  
bant falvi effe, nec poterant, aliis ignotos saltus, aliis  
diversos calles petentibus. Ferunt, Hungarorum fe-  
rociã tantã fuiffe, ut fugientes tamdiu perfeque-  
rentur donec omnes vel interfecti vel capti funt.  
Tanta strages eo die facta, ut quatuordecim millia ho-  
ftium interficerentur, præter vulneratos, aut captos.  
In exercitu Rudolphi non quidem multi fed fortiffimi  
cæsi funt: Centum enim Tigurini, omnes ficut pu-  
gnantes procubuerant, adverfo corpore vulneribus  
acceptis, egregia morte defungebantur. Acre certa-  
men nobilitavit quoque ab altera parte Cæfaris vitæ  
periculum, dum Herbotus Fullenfteinius ingentis sta-  
turæ Polonus, è Regis Bohemiæ pecunia ditatus,  
magno audacique aliquo facinore in castra penetraret,  
Cæfarem occifurus; ejus celeritate præoccupatus, pri-  
us gladio interimitur. Ab altera vero Ottocari mors,  
qua Rudolpho nuntiata, corpus demortui, octodecim  
vulneribus confoffum, regio in super ornatu fpoliatum  
& quod in illo fastigio indignum, prope à calonibus  
nudatum, ad Bohemos patrio regioque more fepeli-  
endum Cæfar mifit; poft hæc regicidis tantum à con-  
fpectu ejus recedentibus, quantum fe ab ejus ira puta-  
bant a futuros. Dies hic, quo Ottocarus cecidit, in-  
ter infausta regni habita, ob mortem Johannis Bohe-  
miæ Regis in prælio Britannico eodem die interfecti.  
Rudolphus tam memorabili victoria lætus, qua Otto-  
carus tamerè illati belli pœnas luit, Ladislaum, habita

316

E 2

eigra-



ei gratulatione, cum copiis à se dimisit. Ipsi trajecto Teya, in Moraviam progressu nuntius adfertur de Ottone Brandenburgico, defuncti Regis Bohemiae avunculo, quomodo regni gazam occupaverit, & bellum refecerit. Quae etsi falsa nuntiata fuissent, apud victorem tamen pro veris habebantur. Ideo Praesul Olomucensis Caesarem adiens, satis superque Bohemos funere amisisse, Brandenburgicum pacatum esse, & Wenceslaum parente orbatum pacem petere, exposuit. Caesar confirmavit eam, ut quemadmodum se vincere, ita victoria uti scire testaretur, Gutha eximia pulchritudinis filia Wenceslao in matrimonium, & Rudolpho Filio, Agnete Wenceslai Sorore mutuo datis. Eligitur & Brandenburgicus, qui tutorio nomine regnum pupilli administraret. Compositis in Bohemia rebus, ut à tergo tuta relinqueret, Stiriae, Carinthiae, Carniolaeque datis praefectis, Viennam redit. Per triduum in hac urbe, ut moris victoribus erat, constitit Caesar, donec ordinatis quae ad victoriae gloriam & pacis necessitatem videbantur, adversus Henricum Bavarum, in militia Ottocari socium, bellum transferret, qui cum Caesaris adventum opperiri nollet, obviam eundo simul & deprecando, cum eo reconciliatus est. Interjecto tempore Heduorum quoque Princeps, quem Admiraldum adpellant, suo imperio Burgundiam subacturus Imperatori rebellavit. Itaque ad opprimendum eum copias educit, strenueque facto itinere improvisus hosti supervenit; cuius cognito adventu Admiraldus adunatum exercitum opposuit, mox commisso proelio, suisque amissis, ipse supplex ad Caesarem sua natura clementissimum fugiens, veniam quam petiit, impetravit. Paucos deinde post dies  
seditio-



seditionum in Alsatia conjuratio indicio militis, ei de-  
fertur, ad quam componendam impigre processit, in-  
terfectis motuum auctoribus, reliquos in fidem acce-  
pit. Rudolphus ad Principum Comitum Noribergam  
atque Francofurtum profectus, solutis iis, Richenstei-  
nam, Schöneeggium, aliasque prædonum arces expu-  
gnat, victis gravissima quæque supplicia sentientibus:  
Facta inter Constantienses & Proceres statim concor-  
dia, Tiguros, Schaffhusiosque altercantes sedavit. In-  
gressus deinde Brisgoviam, Eggonis Friburgensis de-  
fectioni data impunitate, Argentoratum pervenit.  
Oppenheimium hinc iter faciens, diutius ibi subsistere  
ut res componeret, legatosque dimitteret, coactus est.  
Post discessum ab Alsatia Cæsaris, Eberhardus Wirten-  
bergicus defecit, quare Rudolphus motus, habito  
quantum poterat delectu, omnia rebellis spoliavit, quæ  
auferri non poterant, incendit. Eberhardus tantæ  
multitudini longe impar, Stugardiam se recepit, ur-  
bem situ & munitione tutam, quæ ipsa hostem fero-  
cem fecit: Cæsar enim ad mœnia cum exercitu acce-  
dens, admotis arietibus, dum feliciter defendi quàm  
oppugnari sentit, diversa agitabat, & tam discedere  
irritum, quam morari pudebat. Igitur pluribus ad-  
positis machinis, excidio urbem, ni fieret de-  
ditio, ad terrorem cæteris incutiendum, dare  
constituit: Medio tempore Moguntinus magna  
Eberhardi audacia, majoreque pernicie bellum  
trahi expendens, Cæsarem adiit, exposita temeritatis  
& pertinaciæ illius causa, Eberhardum victum se fateri  
indicat. Cæsar quàm lenta urbium expugnatio esset,  
ponderans, pace nullo pretio facta, ut sibi eo firmiter  
obstringeret, dissidium inter eum & Eslingenses com-

E 3 posuit.



posuit Verum mox oblitus clementiæ Rudolphi,  
 Comitem de Achelen, Comitemque de Teck Sueviæ  
 Civitatum propugnatores hostiliter aggrediebatur,  
 neque viribus diffusus, neque iram Cæsaris veritus. Illi  
 igitur agros, villas, prædia urenti supervenit Cæsar, ca-  
 strisque positis, postera die in aciem progressurus, pre-  
 cibus quorundam Procerum motus, deprecantibus  
 pacem ita dedit, si jurejurando Eberhardus confirma-  
 ret, ne quæ ex antea actis dissensio oriretur, belli obli-  
 vionem fore. His peractis in interiora Germaniæ iter  
 pronuntiari jussit, ibique multa prædonum latibula  
 recepit, quibus brevi temporis spatio octoginta solo  
 æquatis, alios ultimo supplicio, alios ex prædonibus  
 mitiori pœna affecit. Destructis his restitutaque toti  
 Germaniæ securitate ad inferiora Rheni loca secessit:  
 Morantem ibi rumor per totam fere Alemanniam de  
 Friderici Imperatoris novissimo adventu dispersus, re-  
 vocavit in Sueviam. Multi quippe non mortuum sed  
 amissum fuisse existimarunt, nec adeo mirum, cum  
 & statura & lineamentorum qualitas, & membrorum  
 junctura Friderico ac huic, Tilocelup ei nomen erat,  
 peræque similis, vox quoque pariter gracilis affabilis-  
 que non Principum animos tantum, sed nobiles quo-  
 que urbes ad se pellexit; sive revera hoc crediderint,  
 sive novandis rebus occasionem arripuerint. Hic ad  
 conventum Novesii habitum Cæsarem venire jussit,  
 ut ditionum suarum jus ab eo acciperet. Quo offen-  
 sus maxime Rudolphus ad opprimendum audacissi-  
 mum æmulum iter instituens, Wezlariam pervenit,  
 inde fugientem sectatus, Nussiæque captum, cognita  
 fraude, nec non magicarum artium convictum igne  
 cremavit. Rudolphus Colmariam repetens, obsessos  
 propter



propter defectionem in potestatem redegit, & IV. M.  
librarum argenti multavit, Walthero urbis Sculteto  
tumultus authore ab officio remoto. Reversus in  
Sueviam, Comitem Burgundiæ, quem semel vicerat,  
jam iterum rebellem subegit, triumphavitque de eo,  
arce Prurentruto Præfuli Basileensi data, quinque  
Waldeccis arcibus funditus excidio datis, Moretum  
etiam ac Paternacum expugnavit. Haftenus urbs  
Berna imperium Rudolphi aspernata erat, eò iter  
emensus, non ipse se solum ea expeditione impedivit,  
sed militum quoque ingentem numerum amisit; do-  
nec ejus Filius Rudolphus cum parte exercitus in ur-  
bem facta irruptione, Bernenses ad pacem commo-  
veret. Tanta in Cæsare virtus fuit, ut non tot victo-  
riis fatigatus, non tot periculis victus, ætate gravis ad  
postremum in Burgundiam contendens, inceptum  
pridem bellum conficeret. Phiretrarum enim Prin-  
ceps Theobaldus cum Petro Basileensi Præsule acie  
congressus, Basileenses insigni clade affecit, qui auxi-  
lium Rudolphi implorantes opem acceperunt non ob  
hoc solum, sed quod Reginaldus & Otto Burgundiæ  
Comites, ambo fratres, Comitatus jura à Gallorum  
Rege, non Romanorum Imperatore agnoscerent.  
Igitur præter ingentem peditum numerum, sex equi-  
tum millia sibi comparaverat, primo die Montisbel-  
gardi castello oppidoque capto, toti Burgundiæ im-  
minens, ad Vesontionem castra metatur, vicino mon-  
te, unde hostes conspici poterant, occupato. Ruper-  
tus vero Burgundiæ Dux cum Theobaldo Ferretano  
prope amnem Adualbim exercitum collocavit. Cele-  
bris ille erat, cujus fons è summo montis cacumine  
Lâber excurrens, à meridie versus septentrionem ver-  
git



git, circumflexus mox mediam interfuit Vesontionem, & apud Dolam faciem insulæ præbet, inde diffusus, aliarumq; aquarum copia auctus, tandem in Ararim amnem, cui vulgo Saone nomen est, cadit. Rudolphus eodem loco aliquot dies militi quietem dederat, cum Philippus Pulcher Galliaæ Rex Legatos mitteret, qui nisi discederet, cum exercitu venturum, minabatur. *Cui Cæsar nuntiari iussit, opperiturum se ejus adventum, ut videat non commode saltandi neque restis ducenda causa se huc pervenisse, sed plura requiri, si velit, tot gentium victori leges præscribere.* Ne vero otium serenidis rumoribus natum aleret, è castris exercitum ducit, belli discrimen aditurus: Nondum vero ad arma pervenerat, cum Helvetiorum mille quingenti itineribus nocturnis castra Ferretani irruerent, caperent, & præda locupletati, ad suos reverterentur. Magna hinc trepidatio animos tam militum quam Ducis occupaverat, qui auxiliis indigens, & loco, ubi pugnaret, insperato consilio bellum delevit. Chaloniense enim Comes, trepidante universa Burgundia, ad pacem à Cæsare petendam, missus, obtinuit, si captivis Basileensium omnibus absque proelio redditis, imperata facerent, suoque beneficio ditiones reciperent. Ita dum publicam & privatam ex bellis cladem Cæsar præcogitaverat, absque populationibus, absque stupris cædibusque toti Burgundiaæ pace restaurata, omnia ad illius obsequium reducuntur. Hac igitur & Thuringia, aliisque locis pacatis, ætate jamjam confectus, successorem denominare sibi proposuit; ideo Francofurtum, deinde Argentoratum profectus: sed talia meditantem, mors prævenit. De qua priusquam dicam, cum juventutis annos, & in iis honores, dignitates, postea



postea initia, successus, eventusque bellorum expo-  
suerim, quibus perpetuus victor, *victoriosi* nomen ubi-  
que meruerat: nunc ea quæ ad civilia eius studia, vir-  
tutes, moresque pertinent, non alienum erit pertra-  
ctare. Rudolphus bello clarissimus, pacis tamen sem-  
per amantior, illud nunquam nisi necessarium susce-  
pit, hanc vero candide imo religiose servavit, ut nun-  
quam ipsi magis defuerit ars, qua imperium regeret,  
quàm qua hostes superaret. Comitia enim conven-  
tusque tum omnium Ordinum, tum quorundam Pro-  
cerum frequentes habuit, in quibus vel de rebus  
ante actis propositum, vel de presentibus delibe-  
ratum, vel de futuris consultatum fuit. Nori-  
bergæ primo regni anno instituta Curia univer-  
sali, decrevit, ut omnia mandata, edicta, privile-  
gia, pacta dotalia, contractus & hujus generis va-  
ria scripta, in theutonica lingua, non ut antea in  
Romana conciperentur. Institutum hoc laudabile,  
quantopere Reipublicæ inservierit commodo facile  
æstimare est, dum multi linguæ latinæ rudes egregiè  
superioribus temporibus decepti erant. Ab initio  
quidem magnæ difficultatis & laboris etiam doctissi-  
mis Viris, donec in verborum copiam elegantiamq; pe-  
netrarent, hanc rem fuisse, deinceps vero ea industria  
excultam ferunt, ut peregrinam vocem contextui scri-  
ptionis immiscere summo dedecori haberetur. Ad  
hæc Würzburgensia, Augustana, Francofortensia,  
celebravit Comitia, neque in longum tempus protra-  
cta, neque intempestiva, sed nunquam non universo  
Imperio salutaria. Splendidissima omnium fuerunt  
Augustana decimo sexto imperii anno habita,  
propterea quod Albertum Austriæ & Rudolphum,  
F excellen-



37. excellentis ingenii filios, Sueviæ Ducem proclamaverit. Wormatiæ deinde alia, Herbipoli alia, alia Erfordiae indixit, ut partim homagium reciperet, partim pontificis postulata componeret, partim de suspectis prædonum arcibus dejiciendis agitaret. Ad ultimum Francofurtum Principes convocavit, electurus Successorem Filium Albertum, Principem raræ prudentiæ & magnæ fortitudinis. Denegabant vero Augustam dignitatem Alberto Principes, præ se ferentes, tantas non suppeditare Imperio opes, quantas duo Cæsares ad tuendum summum hoc fastigium postularent, cum ob res afflictas vix unius dignitatem Respublica sustentare possit. Italiæ Regnum nunquam invisit, partim quod Germaniæ rebus formandis perpetuo retraheretur, partim quod cruenta & lubrica Cæsarium decessorum vestigia ei ob oculos versarentur. Sciscitantibus enim cur Romam proficisci recusaret, elegantem retulisse apologum, dicunt: Leonem scilicet animantium Regem omnes aliquando feras ad certam diem accersisse, cumque præsto essent, regiam Leonis ingredienti, vulpes callida comitari noluit, animadvertens, neminem redire; vestigia, dixit, me terrent, ne si ingrederer, nunquam reverti possem. Non tamen Rempublicam in Italia neglexit; dicere enim solebat, multos Alemannorum Reges Italiam consumsisse, se Romam nullatenus proficisci, *Imperatorem Regemque se esse, nec minus pro utilitate Reipublicæ facturum se confidere quam si Romæ fuisset coronatus.* Misit itaque Vicarium in Italiam, ad retinendas in officio Civitates, Rudolphum Hoheneckium, Præfulis Salisburgensis Cancellarium, qui summa prudentia, clementiam Cæsaris



Cæsaris deprædicans, illas ita sibi adstrinxit, ut in fide  
manentibus, jura quædam libertatemque concesserit.  
quo in Germaniam reverso, à Pontifice Honorio Pin-  
zivalla Fliscus Genuensis eligitur Vicarius, quem Cæ-  
sar, ne novis molitionibus ansam præberet, licet hoc  
jus minime ei competeret, confirmavit. Pinzivalla  
administratis severe & imperiose admodum rebus,  
elusus, ad Cæsarem venit, bellicque necessaria, pecu-  
niam, commeatus, arma petiit. Accessit etiam eo-  
dem tempore Tusculanus Præsul, indicans loca à Gal-  
lis & Hispanis abrepta vindicanda, & ab Ecclesiasticis  
quartam bonorum partem Pontifici ad bellum Tur-  
cicum præstandam esse: Verum Cæsar omnes Prin-  
cipes renuere, adeo ut Præsul perpetuus obloquutor  
in magnum vitæ periculum inciderit. Jactavit qui-  
dem Bzovius aliique, Libertatem Italiae partim vendi-  
tam, partim donatam à Rudolpho Imperatore; Sed  
nec probari hæctenus potuit, in quantum illi præsu-  
munt; & si quid temporis datum esset, in terminis  
tamen nequaquam abdicati juris Imperialis, non de-  
bet atrocibus censuris vexari, sed potius eo modulo,  
taxari, quem ostendit *Conringius de Finibus Imperij*  
*cap. 20. & seqq.* Cæterum in Germaniæ salutem  
multa ab eo prudenter & salubriter inventa sunt, dum  
leges quasdam retractavit, quasdam ex integro sanxit,  
privilegiis Urbibus antiquis confirmatis nova addidit.  
Argentoratensibus enim privilegium fori dedit,  
omniaque decessorum confirmavit. Eslingam,  
Reutlingam, Heilbronnæ ad Nicrum pagos mœ-  
nibus cingi permisit, & Civitatibus Imperii, ne  
injuriis perpetuo opportunæ essent, annumeravit;  
pessimos emendavit mores, jus sæpius ipse magna di-  
ligentia



39.

ligentia lenitateque dixit, confitentibus demum facinoris  
 poenas irrogavit. Equestris indies habuit exercitia  
 tanta frequentia, ut undique huc confluerent Nobiles,  
 & exercitatissimi continuo armorum usu redderen-  
 tur. Virtutis præcipuè gloria insignis, quæ cum ab  
 aliis superari non posset, quasi omnium virtutum  
 Gentis suæ hereditatem relicturus, nullam omisit.  
 Enimvero ne quis liberalitatis suæ expers esset, omni-  
 bus vel de se, vel de bono publico bene meritis, fre-  
 quenter eam exhibuit; sed in amicos liberalissimus,  
 quibus honores & dignitates amplissimas contulit.  
 Erat illi Henricus Confessarius, Ordinis Franciscani,  
 Vir religiosus, sed tenuioris fortis, à pistore natus;  
 hunc in Præsulem Basileensem euectum, mox ad Ar-  
 chi-Episcopatum Moguntinensem promovit. Accidit  
 aliquando Argentorati, ut Mercatorem varietate fortu-  
 næ ad magnam redactum egestatem inviseret, quære-  
 retque ex eo, num se socium mercaturæ habere vel-  
 let, annuente eo, dixit, centum tibi solvam argenti  
 marcas, ut centum addas: dimidiam vero pecuniæ  
 partem Argentinæ in halecibus, alteram in emendo  
 Coloniae vino colloca, illis in hanc, hoc in illam ur-  
 bem deducto. Cumque brevi temporis intercapedi-  
 ne haleces Coloniae, Argentinæ vinum deficeret, iis  
 venalibus expositis, magnum exinde quæstum fecit.  
 Qui cum pari munificentia in alios esset, non hunc  
 modo mercatorem, sed immensa locorum spatia sua  
 liberalitate implevit, variis casibus intercessit, fortu-  
 næ occurfavit. Omnium itaque amorem fidemque  
 sibi conciliavit, quia in omnes liberalis erat. De cæ-  
 tero justitiæ observantissimus, injuriarum amicis illa-  
 tarum

40.



tarum strenuus ultor, prædonumque subactor erat. Militaris disciplinæ supplicia, ita mitigare assuetus, ut neque multum militibus remitteret, nec ipsi de amore illorum multum decederet. Justam necessarij juris remedii causam in bellis inferendis semper expectavit, cujus auspicio qui non ducuntur, latrocinia potius quam bella gerunt. Dicenti quandoque cuidam, se in spem pretij Ottocarum Bohemiæ Regem necaturum, *etsi ille noster hostis est, inquit, nunquam tamen justitia terminos transgressurus sum*. Inde factum ut rigidus justitiæ custos per totam Germaniam audiret. Pietas tamen inter omnia eminebat, vix etiam illis imitabilis, quorum cura ad sacra tantum ordinata est. Eam sane à Parentibus quasi innatam ita continuavit, ut ipse religiosissimus & filios tales relinqueret: Quotidie definitis horis æternum Numen precibus invocavit, nec prætermisit, etiamsi ardua negotia intervenirent. In acie effigiem Christi Salvatoris cruci adfixam præferri jussit, & quoties integrum ipsi fuit cum hoste decertare, toties Veneris diem, sanctissimæ crucis cultui dicatam, expectavit. Semper ante prælium DEO preces, semper post victoriam grates reddidit, altaribus, templis, monasteriis vel de novo conditis, vel restauratis. Sacerdoti cuidam panem orbicularem ægroto, ut hodie adhuc moris est apud Romano-Catholicos, deferenti occurrens, equo defiliit, mo, inquit, vehi, & te Salvatorem meum portantem pedibus incedere indecorum vel impium esset: Nudato igitur capite Cæsar insidentem equo Sacerdotem subsequitur, remean- tique cum dono dedit. Sed & clementiæ Civilitatis-

41.

42.

F 3

que



que, virtutum *Austriacis Principibus propriarum*, multa  
& magna extant monumenta. Supplicibus enim  
parcere, hostes servare, cunctis ignoscere gloriosum  
duxerat. Atque etiam ab amicis admonitus, quod  
nimis inclementiam propenderet, memorabilem illam  
meritoque laudato Principe dignam vocem edidit:  
*Immitem me fuisse pœnituit, mitem & placabilem nunquam.*  
A Sagittario quodam artis imperito sauciatus, dex-  
tram illi amputandam suadentibus non auscultavit,  
sed incolumem dimisit, præfatus, provide agere de-  
buit, priusquam me læsisset, sed quid nunc exinde  
consequar emolumenti? Ne enumerem quos & quot  
diversarum partium incolumitate vel venia donatos,  
pristinam dignitatem recipere passus est: Neque cæde  
quidem alicujus unquam lætatus, sed justis etiam sup-  
pliciiis ingemuit. Procerum uxores, filias virginesque  
plures ad convivium vocatas, præsentibus Viris & Pa-  
rentibus comiter ac amanter habuit, ita, ut nemi-  
ni cuiquam ulla tamen suspicandi causa superesset.  
Verum cum nulla re Principes propius ad  
DEUM accedant, quam clementia, ideo virtutum  
43. ornamentis excellens, hac præcipue omnes vicit. Cæ-  
terum prudentia, solertia, dexteritas & fortitudo,  
quanta in eo fuerit, Germania satis testabatur, quæ  
solo ejus ductu consiliisque ab ultimo interitu liberata  
est. Hinc amicorum prudentiumque consilia facile  
audivit & admisit, contra, assentationes gravius contem-  
psit. Quare adulatores lupis comparavit, qui blan-  
ditiis suis asinos vorant, illi verborum lenociniis Prin-  
cipes in perniciem trahunt. Prudentiam optimi Cæ-  
saris inde conjicies, quod cum mercator quidam No-  
ribergæ



ribergæ hospiti ducentas argenti libras, ut ei restitue-  
ret, daret, quas deinde se accepisse pernegabat; Mer-  
cator de injuria conquestus apud Cæsarem, interroga-  
tur ab eo, num ipsi constet de loco, in quo argenti  
summam custodierit hospes, dixit, eum coniecisse in  
loculum, formam etiam describens. Contigit vero,  
ut gratulantibus pro more Imperatori hospes quoque  
interesset, quem benigne allocutus, *pileum, inquit,  
politum habes, si placet, permutemus.* Arrisit hospes,  
eumque magno gaudio lubensque dedit. Cæsar ad-  
hæc quasi publicis negotiis occupatus, secedit, misso  
ad hospitis mulierem fidissimo cum mitra amico, qui  
mariti nomine loculum peteret; mulier conspe-  
cto pileo, quo tanquam tessera ille utebatur, dedit,  
quod voluit. Loculo jam exhibito, Cæsar ex merca-  
tore quæsit, num hic esset, affirmanti hospitem ad-  
hibebat: Hic, refert, de TE queritur, tuamque per-  
fidiam accusat: respondet hospes, nunquam sibi cum  
eo rem fuisse: sed audacissime cuncta neganti Cæsar  
loculum ante oculos ponit, ad cuius aspectum animus  
& lingua defecerat. Cæsar igitur data mercatori pe-  
cunia, hospitem infamem graviter mulctavit. Præ-  
terea sæpe profitebatur, imperare melius esse, quam  
imperium ampliare: unde sibi symbolum etiam ele-  
git: **REGNI PRUDENTIA CUSTOS.** Sicut 44.  
autem Austriaci Nominis hic conditor fuit, ita hu-  
manitatis Majestatisque ejus auctorem quilibet recte  
vocaverit. Namque præter Principes Christianæ fidei  
addictos, Persæ, Mosci, Turcæ amicitiam fœdusque  
ab eo expetiverunt, quorum Legati in vultu Cæsaris  
sæpe defixerant oculos, credo, quia magnitudinem  
corporis



corporis animique æstimantes, singulare auctoritatis  
specimen observabant. Gravitati huic perpetuo ta-  
men adjunxit humanitatem; quippe pariter charus  
ac venerandus esse, imo in omnium amorem sese  
quasi insinuare cogitabat. Posset hoc videri Re-  
gum arcanum, hominem se, non semper Regem  
ostendere. Igitur domi forisque etiam tenuissimos  
non fastidire, miscere colloquia, audire vel respon-  
dere omnibus, incorrupto Cæsaris honore. Et, cum  
frequens aliquando ad aulam concursus esset, satelli-  
tes ut facere solent, humiliores quosdam submove-  
re; quo conspecto Cæsar, exclamavit, *concedite ho-  
mines ad me venire, non enim Imperator sum, ut arca  
quadam includar.* Hinc populares tanto Cæsari sub-  
esse gloriosum & jucundum ducebant. Abstinencia  
vero & frugalitate aut æquavit omnium gloriam aut  
excessit. Quippe in bello Bohemico cum magnum  
humoris desiderium esset, ita reprimebat sitim, ut of-  
ferentibus aquam hydria reddita, responsum daret,  
nec solus bibere sustineo, nec tam exiguum omnibus  
dividere possum; *ego non mihi sed toti exercitui sitio.*  
Simile fere exemplum dedit in bello Burgundico, ubi  
deficientibus ad vitam necessariis, evulsa ex agris ra-  
pa comedit, idem imitantibus cunctis militibus.  
45. Erat itaque ad res serias consiliaque strenuus, sed di-  
ctis quoque jocisque quando animum remittebat, per-  
facetus. Oratores duo, alter quidem barba cana &  
capillis nigris, alter vero capillis canis & barba nigra  
conspicuis, ad eum missi erant. Horum dissimilem  
formam contemplatus ille, negotium dixit absolvam,  
audita à vobis diversitatis causa. Postridie admissi,  
primus



primus exposuit, quod ori satisfaciens, caput neglexe-  
rit, alter quod barba nondum eam ætatem quam  
capilli sortita esset, vicesimo quarto anno juveni  
sibi *enata*. Cæsar subridens, legationem reconfecta,  
dimisit. Nasum autem cum haberet aquilinum, di-  
caculum quendam hominem in declivi semita de via  
non cedentem, interrogavit, cur non discederet, præ-  
terire, inquit, non possum, nam Cæsar's nasus viam  
implet: Nasum ergo torquebo meum, amice, abi, ne  
Te impediatur. Absolvimus ea, quæ de ordinanda  
Republica pacis tempore excogitavit, gessitque: Nunc  
interiorem quoque ac familiarem ejus vitam breviter  
perspiciamus. Habuit autem duas uxores, Annam sci-  
licet de Hohenberg in Suevia, electæ formæ, summæ  
pudicitæ, & magnæ prudentiæ foeminam, ex qua se-  
ptem filios Albertum, Rudolphum, Hartmannum  
Rheni submersum, Fridericum & Rudolphum II.  
Tulnæ in Austria sepultos & Carolum in pueritia mor-  
tuum tulit. Totidemq; ei fuerunt filiæ, Euphemia Tulnæ  
virgo vestalis, Gutha Wenceslao Bohemo, Mechtildis  
Ludovico Palatino, Agnes Alberto Saxonico, Hedwi-  
gis Ottoni Brandenburgico, Anna Ottoni Bavaro &  
Clementia Carolo Siciliae Hungariæq; Regi in matri-  
monium collocatæ, multos nobilesque Principes pro-  
generarunt. Tantæ sobolis magna Genitrix gravi mor-  
bo Viennæ implicata, ibidem fato decessit. Cumque  
vivæ omnia officia præstitisset, defunctæ quoque hono-  
res maximos tribuit. Corpus enim Basileæ deportatum  
illustri hoc monumento conditur.

46.

G

D. O.



D. O. M. S.  
 ANNÆ AUGUSTÆ,  
 BUCHARDI COMITIS HOHENBERGENSIS  
 FILIÆ,  
 RUDOLPHI I. IMPER. AUG. COM. HABSP.  
 CONJUGI.  
 ET FOECUNDISSIMÆ PARENTI AUSTR.  
 PRINCIP. SERENISS.  
 ALBERTI I. IMPERATORIS MATRI.  
 UNA CUM CAROLO FILIO  
 ANNO DOMINI M CC LXXX.  
 XIX. MARTII HIC SEPULTÆ  
 S. P. Q. B.  
 QUUM SANCTAM HANC ÆDEM NITORI  
 SUO PRISTINO RESTITUENDAM  
 CURARET, HONORIS  
 ERGO.  
 CIRCITER CCC. XV. D. POST EXEQUIAS.  
 H. M. L. P.

47.

Post hanc Agnetem in matrimonium accepit,  
 Ottonis Burgundiæ Comitis Filiam, vix dum nu-  
 bilem, quæ cum flore ætatis & venustate formæ inter  
 reliqua insignis, thalamo infœcunda esset, post obi-  
 tum Cæsaris in Burgundiam rediit. Filios autem Fi-  
 liasque omnes tam moribus quam literis informari  
 curavit: Præcipuè tamen de Alberto magnam curam  
 habuisse legitur, adjunctis illi spectatæ fidei, & probi-  
 tatis & prudentiæ Viris, qui cæream ætatem flecte-  
 rent ac ceu regulæ moderarentur. Ingenia enim ar-  
 tesque vel maxime fovit & magnis præmiis donavit.  
 Sed & castitatis continentiaque amans, cum Agne-  
 tem



tem uxorem aliquo tempore Fridericus Comes Leiningius Spirensis Antistes, honoris & reverentiæ ergo è curru regio levaret, eximia illius venustate raptus, osculo eam excepit: quod indigne ferens, Cæsari conqueritur, qui sine mora Præsuli perferri iussit, ut alio ad osculandum electo pacali, hoc sibi relinqueret. Cæterum præter egregias ingenii dotes, animique artes, corporis quoque decora species cum adornavit: statura quippe eminenti & excelsa fuit, colore per omnes ætatis gradus magis pulchro quam venusto; corpus habuit amplum, membra robusta, capite præditus parvo: Capillis traditur modicis & rufis, hinc rufus dictus, supercilia lata nasum & à summo eminentiorem & ab imo deductiorem accepit. Cultu vero corporis haud multum à privato abhorrens, in virtute potius quam vestium magnificentia Principis Majestatem sitam esse regerebat: Ottocarum enim veste auro, purpura, gemmisque distincta indutum, suaque castra intrantem, toga ipse vestitus grisea derisit, quod Germanorum Cæsarisque gloria non in vestium ornatu, sed in experientia rei militaris consisteret. Exspatiatus orto sole, cum subito horrore corpus rigere cœpisset, carbonibus in pistoris domo ardentibus accessit. Varia ibi confabulantem (tanquam unus ex Rudolphi mercenariis tam vulgari cultu contentus erat) uxor pistoris indignata verbis, vase aqua pleno infuso prunis turpissime maculavit. Unde fumo, carbone, & vapore perfusus domo excessit. Comes adhuc, in castris vestes reparavit, ut exemplum quod imitarentur militibus relinqueret. His itaque vitæ morumque institutis effecit, ut



48. non in acie solum clarissimus Dux, sed in pace quoque  
laudatissimus Princeps haberetur. Alias quantum  
constat, periculosas & diuturnas valetudines aliquot  
tantum expertus est, dum immoderatis voluptatibus  
contemptis, cibo potuque parce utebatur. Præcipue  
Argentorati gravi morbo conflictatus, cum etiam ad  
salutis recuperandæ desperationem redactus esset, testa-  
mentum conscripsit, sepultura Spiræ sibi destinata.  
Ingens sollicitudo & pene jam luctus in urbe erat,  
quare omnes unâ per diem & noctem in sacris ædibus  
DEUM pro incolumi Cæsaris vita ardentissimis ado-  
rabant precibus, adeo ut intra mensis spatium animus  
& corpus vigorem recuperaverint: Postea omnibus  
fanis magnificis muneribus expletis, secessit. Jam-  
que imminentis fati vim sentiens, omnium virtutum  
splendore clarus, sed ex febrili horrore fatigatis par-  
tim, partim senio confectis membris deficientibus,  
Argentoratum concessit. Ibi Senati Civibusque  
quasi nunquam rediturus, valedixit, habitis gratiis  
quod in obsequio constantes, in officiis prompti de-  
votique fuissent. Memoria enim proditum est, pecu-  
niâ indigenti Argentoratenses subvenisse, Rudolphum  
etiam eorum promptam voluntatem agnovisse & de-  
prædicasse, cum aliquoties inclyto Reipublicæ Sena-  
tui interesset. Per octiduum in hac urbe mora-  
tus, Spiram festinanter profectus, manantibus lachry-  
mis ut diutius subsisteret enixè ab Argentoratensibus  
rogatur, sed Spiram ad Reges majoresque visendos  
contendens, pro se suaque incolumitate eos precari  
jussit. Tanta autem mox morbi vis erat, ut in oppi-  
do

49.



do Germersheimio peractis sacris vita decederet, anno  
millesimo ducentesimo nonagesimo primo, decimo  
octavo Calend. Maij, ætatis septuagesimo tertio, im-  
periique decimo octavo. Corpus Spiram delatum,  
imperialibus conditoriis honestissime sepultum est.  
Quocunque autem nuntius de ejus morte penetra-  
verat, omnia, ploratu, lamentisque & planctibus per-  
sonabant. Quippe optimum ac fortissimum, pari-  
ter & justissimum ac mitissimum victorem luctu ac  
mœrore communi prosequerentur. Illum certe ho-  
norem nulla delebit ætas, quod Argentoratenses supre-  
mum officium in magna Principum, Comitum, No-  
biliumque frequentia, regio prorsus more, ac si Ar-  
gentinæ defunctus esset, persolverint. Ad hæc, quo-  
niam eo tempore consensu amplissimi Ordinis Sena-  
torii actum decretumque fuit, ut Regibus tam Urbi,  
quàm adjectis locis beneficia exhibentibus, ad æter-  
nam memoriam Imago cum equo triumphali in Sum-  
mo Templo, *quod ultimum miraculum mundi adpellant*,  
construeretur: Rudolphus Habsburgicus, ut videre  
licet, ibidem equo insidens lapideo, aurea corona ca-  
piti imposita, & sceptro maxime conspicuus est;  
supra, arcus hæret, cui aureis Literis inscriptum;  
RUDOLPHUS DE HABSPURG REX ROM.  
Neque silentio præteriri debet Epitaphium Spiræ in  
silice quodam superposito sculptum, satis rude qui-  
dem, sed temporis vetustati condonandum:

ANNO DOMINI M CC XCI. pridie Cal.

Oct. obiit RUDOLPHUS de HABSP.

ROMANORUM REX.

G 3

Sed


50.



Sed *vivit*, qui *cecidit*, in sua Augusta posteritate soboleq;  
celeberrimus. Floruit usque adhuc Germania & Ro-  
manum Imperium sub Cæsaribus ex stirpe Tua in mi-  
raculum gentium prodeuntibus. DEUS conservet  
**AUGUSTAM DOMUM AUSTRIACAM**  
ad immortalitatis gloriam, & venturi Sæculi felicitata-  
tem, qui à primis Ejus initiis in hunc usque diem mi-  
rifice Regna, quotquot sub umbra Aquilæ Austriacæ  
temperarentur; clementissime protexit.









AKT n 1871

Wam

nc





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

